



Nf. 24.

60
PRORECTOR
ALMAE FRIDERICIANAE,
FRIDERICVS HOFF-
MANNVS,

CONSIL. MEDICVS ET PROFESSOR
REGIVS
VNA CVM PROFESSORIBVS
RELIQVIS,
A D

FESTVM
PASCHATIS
MDCCXIX.

EO DIGNIVS CELEBRANDVM,
IPSAM PASCHALEM DE RESVRRECTIONE *bn.*
CARNIS DOCTRINAM
PIE CONSIDERANDAM,
ET IN VITA QVOQVE OBSERVANDAM,
CIVIBVS ACADEMICIS

peramanter commendat.

Typis IOHANNIS GRVNERII, Acad, Typogr.



PROFESSOR
ALMAE FRIDERICIANAE
FRIDERICVS HOFF-
MANNVS
CONSIL. MEDICVS ET PROFESSOR
REGIVS
VNA CVM PROFESSORIBVS
REGIIS
AD
FESTVM
PASCHALIS



MDCCC
ED. DIGNVS CLEBRVS
IPSAM PASCHALEM DE RESERVATIONE
CARNIS DÖRRINAE
E. E. GOTTHARDUS
EIN VON DER UNIVERSITÄT JENA
CIVIBVS ACADEMICIS
Typographus GEORGIUS A. TYPON





Surrexit Dominus!

Alleluja!



Haciamus hodie nostram lætam hanc *Pie* Antiquitatis acclamationem. Nam *nobis quoque* surrexit Dominus. Surrexit, ut ad finem perduceret, *nobis salutarem*, maximum illud, & non humanis tantum, sed & angelicis vocibus, toties prædicatum atque laudatum Redemptionis Opus. Surrexit, ut et nos surgamus; super pulvere stetit vivus, ut ex pulvere nos eruat ad vitam, quotcunque vivere in ipso per fidem, ante mortem nostram, volumus.

Carnis est Resurrectio, quæ ita docetur et creditur; at certe doctrina est minime carnalis, carnalibus potius hominibus omni fere tempore adversa, ingrata & incredibilis. Veteri ævo plurimorum Philosophorum Sapia vita post mortem novæ risit aut explosit expectationem. Paulus, JESUM ex morte resuscitatum annuncians, *σπερμιολόγος* est visus & appellatus, atque *καταγγελεὺς ξένων δαιμονίων*, & quidem illis præcipue, qui cum ipso sermonem contulerant, Stoicæ ac Epicuræ Sectæ Philosophis,

(.) 2

Nec

Nec conticuit post Christi toto orbe, tot miraculis, tot populorum credentium unanimi confessione, celebratam Resurrectionem, Sapientum mundi, vulgique *πελοβές*, vel *αβές* potius, cavillatio, aut affectata ignorantia. Hoc præcipue dogma in Christianis putaverunt oppugnandum, argumentationibus conuellendum, sibilis convitiisque proscindendum, imo ipsi Christianorum necatorum & combustorum cineribus, in flumina sparsis & usquequaque dissipatis, confutandum. Adeo cogit averfari vitæ male actæ conscientia doctrinam, homines post fata sistentem ad iudicium. Mallent impii nihil esse, quam superstitem habere animam, et cum suo, quod tot peccatis sceleribusque contaminatum norunt, resuscitari corpore. Suavis quidem esset resurrectionis ad vitam æternam memoria, nisi promeriti supplicii prævaleret in animo justissima formido. Itaque satius esse arbitrati sunt plurimi Mortalium, negare Carnis resurrectionem, quam fateri, satius diffiteri, si non possent non intus credere; Satius denique moribus ire in contrarium, sicubi ore non liceret. Hinc est, quod semper, circa vel intra pomœria sua, habuit Ecclesia Paschalis doctrinæ irrisores aut fuggillatores; hisque furor videbatur & infania, quæ apud fideles personabat, de Jesu redivivo acclamatio & exultatio.

Ast nec puduit unquam Pios doctrinæ tam salutaris, nec ad silentium redigere potuit lætantium linguam adversariorum livor, calumnia aut insultatio. Ultrò haud raro aggressi sunt suos & Christi resuscitati Rifores illos, veritatis Propugnatores animosi & laudabili Zelo ducti. Demonstrarunt absurditatem absurditatis nomine Christianos insectantium, veritatemque nostræ de Resurrectione doctrinæ asserendo, luculentissime posuerunt ob oculos opinionis oppositæ falsitatem.

Audiamus ex multis Veterum grandem illum Oratorem & veritatis (si nævos paucos excipiamus) eximium vindicem, *Terullianum*. Hic cum integrum sui ævi Seducoribus objecerit libellum, de *Resurrectione Carnis* inscriptum, præstantissimas nobis suppeditavit sententias, quibus in Paschali Meditationum materiam, non sine fructu animarum nostrarum, commode uti poterimus.

Ipsam libellum exorsurus in compendium redigit paucorum

rum verborum amplissimum hunc fidei Christianæ articulum: *Fiducia*, inquit, *Christianorum*, *resurrectio mortuorum*: illum *credentes sumus*, hoc credere veritas jubet. Veritatem Deus aperit. Sed vulgus irridet, existimans nihil superesse post mortem. Cumque ex ipsis parentationum & dapum funebrium ritibus ethnicis argumentum pro Resurrectionis veritate peti posse innuisset, de Philosophis pergit dicere: *Plane cum vulgo interdum & sapientes sententiam suam jungunt*. Nihil esse post mortem Epicuri Schola est. Ait & Seneca, omnia post mortem finire, etiam ipsam. Satis est autem, si non minor Philosophia Pythagoræ & Empedocli. Sed Platonici immortalem animam e contrario reclamant: imo adhuc proximè etiam in corpora remanebilem affirmant, etsi non in eadem, etsi non in humana tantummodo, ut Euphorbus in Pythagoram, Homerus in pavum, recenseantur. Certe recidivatam animæ corporalem pronuntiaverunt, tolerabilius mutata, quam negata, qualitate: pulsata salute, licet non adita veritate. Ita seculum resurrectionem mortuorum, nec quum errat, ignorat.

Nimirum tanta est vis veritatis, ut per ipsam subinde pelluceat errorum ac opinionum adscitiarum caliginem. Innotuerat ab antiquissimis temporibus credita, & suis tradita per Patriarchas, Resurrectionis extremique iudicii doctrina; at, seculorum insequentium decursu, cum variis Gentium migrationibus hæc quoque migrare iussa est veritas, aut saltem fabularum involuta fasciis, commentisque poëticis, non exornata, sed defœdata, eam subiit formam, quæ non tam distinguendo repurganda, quam omnino repudianda & explodenda videbatur Mundi hujus Sapientibus. Hinc omnes Philosophi veteres Resurrectionem Carnis aut aperte negaverunt, aut in *παλιγγενεσίαν* vel *μετεμψύχωσιν* quandam ficticiam commutaverunt.

Exorti autem sunt inter ipsos Christianos, qui Resurrectionem fatendo, veritatem tamen ejus irent destructum. De his ita loquitur Septimius noster: *Nunc ad alios Sadduceos præparamur* *partiaris sententiæ illorum*. Ita dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animæ, aspernant carnem, sicut & ipsum Dominum carnis. Scilicet fuerunt, qui animas quidem ad vitam æternam revocandas, corpus autem perituum, docerent.

Sic plerosque illos sensisse Tertullianus memorat, qui doctrinam de Incarnatione Verbi falsis suis dogmatibus obfuscate aggressi

gressi fuerant. *Atque ita sequitur, inquit, ut salutem ejus substantia excludant, cujus Christum consortem negant, certi illam summo præjudicio Resurrectionis instructam, si jam in Christo resurrexit caro.*

Digna est notatu, quam ejusmodi heterodoxis Christianis Tertullianus inter alia opponit, sententia. Nam cum hi iisdem fere aut similibus uterentur rationibus, quibus resurrectionem carnis impugnare solebant ethnici. *Quid cæco, ait, duci inniteris, si vides: quid vestiris a nudo, si Christum induisti? Quid alieno a teris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ille potius (ethnicus) a te discat carnis resurrectionem confiteri, quam tu ab illo diffiteri. Et postquam ad refutandas, quæ a carnis infirmitatibus desumi confueverant, argumentatiunculas, pro corporis humani dignitate nonnulla disseruisset, Phidias, inquit, manus Jovem Olympium ex ebore molite adorantur, nec jam bestia, & quidem insulsissima, dens est, sed summum seculi numer, non quia elephantus, sed quia Phidias, tantus: Deus vivus, Deus verus, quamcunque materie vilitatem non de sua operatione purgasset, & ab omni infirmitate sanasset? An hoc supererit, ut honestius homo Deum, quam hominem Deus finxerit? Vnde tandem concludit: Hæc cum ita sint, habes & limum de manu Dei gloriosum, & carnem de afflatu Dei gloriosorem, quo pariter caro & limi rudimenta desopsit, & animæ ornamenta suscepit.*

Postea progressus ad nobilissimum illud pro dignitate carnis humanæ prædicanda encomium, quod a verbi incarnati communionem petitur, Absit, inquit, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, libertatis suæ heredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, Christi sui sororem, in æternum destituat interitum. Bonum Deum novimus: solum optimum, a Christo eius addiscimus. Qui dilectionem mandans, post suam, in proximum, faciet & ipse quod præcepit. Diliget carnem totamodis sibi proximam; etsi infirmam, sed virtus in infirmitate perficitur; etsi imbecillam, sed medicum non desiderant, nisi male habentes; etsi inhonestam, sed inhonestioribus majorem circumdamus honorem; etsi perditam, sed ego, inquit, veni, ut, quod perit, salvum faciam; etsi peccatricem, sed malo mihi, inquit, salutem peccatoris, quam mortem; etsi damnatam, sed ego, inquit, percutiam, & sanabo. Quid ea exprobras carni, quæ Deum expectant, quæ in Deum sperant, quæ honorantur ab illo, quibus subvenit? -- Tenes Scripturas, quibus caro infuscatur, tene etiam, quibus inlustratur.

Hæc

Hæc dicit Tertullianus se scribere *de præconio carnis adversus inimicos, & nihilominus amicissimos eius.* Nemo enim, inquit, tam carnaliter vivit, quam qui negant carnis resurrectionem. Negantes enim penam, despiciunt & disciplinam.

Cæterum ad eam quæstionem, an caro restitui possit, procedens, a Creatoris summi potentia *καὶ ἀνθρώπων* ita argumentatur: Sive ex nihilo Deus molius est cuncta, poterit & carnem in nihilum productam protrahere de nihilo. Sive de materia (prima, ex hypothese quorundam ethnica) modulatus est alia, poterit & carnem quocunque dehaustam evocare de alio. Et utique idoneus est reficere, qui fecit; quanto plus est fecisse, quam refecisse, initium dedisse, quam reddidisse. Ita resurrectionem carnis faciliorem credas institutione.

Aliud argumentum magni sane momenti ita eloquitur: Quod congrueti iudicari, hoc comperet etiam resuscitari. - - Vita est enim causa iudicii, per totas substantias dispungenda, per quos & functa est. (Conf. 2. Cor. V. 10.) - - Et si anima est, que agit et impellit in omnia, carnis obsequium est; Deum non licet aut injustum iudicem credi, aut inertem: injustum, si sociam bonorum operum a præmiis arceat, inertem, si sociam malorum a suppliciis secernat: cum humana censura eo perfectior habeatur, quod etiam ministros facti cuiusque deposcit, nec parcens, nec invidens illis, quo minus cum autoribus aut pænæ aut gratiæ communicent fructum. Id quod, post prolixiorum rei deductionem, his quoque obsignat verbis: Amborum erit conglorificari, sicut & compati. Secundum collegia laborum, consortia etiam decurrant necesse est præmiorum.

Eleganter porro ex Pauli Dicto 1. Theff. V. 23. Deus Pacis sanctificet vos totos & c. hoc eruit confectarium: *Habes omnem substantiam hominis saluti destinatam, nec alio tempore, quam in adventu Domini, qui clavis est resurrectionis.*

Neque ea carent utilitate aut gravitate, quæ ad explicandum Locum Paulinum, 1. Cor. XV. 11. sqq. uberius disputat Septimius. At, cum cætera excludat paginæ nostræ angustia, illud tantum huc excerpemus epiphonema, quod hætenus adductis pondus adjicere potest: *Quam absurdum, ait, quam vero ethnicum, utrumque autem quam Deo indignum, aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur; nem e contrario hæc quidem caro in spurcitiis voluetur, alia vero damnetur?*

Totam

Totam denique disputationem suam in memorabilem hunc exire voluit epilogum Tertullianus: *Resurgit igitur caro, & quidem ipsa, & quidem integra (non mutila) In deposito est ubicunque apud Deum per fidelissimum sequestrum Dei & hominum Jesum Christum, qui & homini Deum, & hominem Deo reddet, carni Spiritum, & spiritui carnem. Utrumque jam in semet ipso fœderavit, sponsum sponso, & sponsum sponsæ comparavit. Nam & si animam quis contenderit spon- sam, vel dotis nomine sequetur animam caro. --- Hujus interitum quem putas, secessum scias esse.*

Talia vetus ille Resurrectionis Præco (utut, quod jam moni- tum, domesticis quibusdam erroribus obnoxius) ex Evangelicæ Veritatis testimonio, graviter æque ac vere est elocutus. Nos piæ Antiquitatis sententias (repeto jam supra commendatam admonitionem) faciamus nostras. Christum cogitemus, & cogitando veneremur, e mortuis resuscitatum; reputemus eundem, cum si- cero sanctæ formidinis affectu, omnem carnem, hanc ipsam quo- que, in qua nunc bona vel mala operamur, resuscitaturum ad judi- cium. Vivamus, ut moribundis, non terrorem, sed consolationem afferat sanctissima hæc de carnis resurrectione doctrina.

Vos præsertim, o chara Pectora, quotquot in hac Alma Fri- dericiana nomen dedistis, animumque adplicuistis, bonis artibus, & scientiis, imo quotquot supra vulgus sapere & cupitis & debetis, de- ponite vulgaria, quæ in ethnica plebè Tertullianus reprehendit, præjudicia; fugite & averfamini sapientum seculi stolidissimas co- ram Deo subtilitates. Audite Dominum vestrum, de tumulo exfur- gentem, de inferno triumphantem, suos aspectu alloquioque dul- cissimo recreantem, coelosque splendidissimum inter Satellitium ad- scensu petentem, ut, imperio Vniversi ad extremum usque mundi diem iustissime & potentissime administrato, iudex in nubibus rede- at omnium, qui unquam vixerint, Mortalium. Hic vobis in Verbo suo loquitur de resurrectione & sua & vestra. Felices eritis, si audie- tis; feliciores si audita ad incitandum christianæ sanctimonix studii- vitæ hæredes ex sepulchris olim vestris egrediemini. Nolite igitur carnalibus indulgere illecebris, qui in carne quondam judicandi re- surgetis. Carne potius, cum affectibus pravis, per Christi Victoris & Triumphatoris virtutem debellata & subacta, Spiritus sequimini du- ctum & dominium, ut quem jam *resurrexisse* lætamur, læti etiam re- deuntem queatis expectare, & tandem spectare *Dominum!*

P. P. Fer. in Vniv. Frider. I. Paschali MDCCXIX.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PRO
ALMAE FI
FRIDER
MA
CONSIL, MED
VNA CVM P
RE
FES
PASCO
MD
EO DIGNIVS
IPSAM PASCHALEM
CARNIS
PIE CO
ET IN VITA QV
CIVIBVS

perama
Typis IOHANNIS C

60
E,
FF-

R

TS

S

NE *bx.*

